

1725 // 12
DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA
**DE COMMODITATE
COMPASCVORVM PER REVO-
CATIONEM VNIVS, ALTERO
LICET DISSENTIENTE EX-
TINCTA,**

QVAM
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS.
SIMO ATQUE CONSULTISSIMO,
DOMINO

**CHRISTOPHORO IGNATIO
DE. GVDENVS, J.V.D.**

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEM-
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,
EX DECRETO ET AVTORITATE AMPLISS. JCTOR. ORDIN.
IN PERANTIQA ERFFVRTINA,

PRÆSIDE
DN. JOHANNE HEINR. Seiern/ JCTo,
ELECTORAL. REGIM. CONSILIA. DECRETAL. PROF. PVBL. VNIVERSITAT.
ET FACVLT. JVRID. SENIORE, ET H. T. DECANO, NEC NON JVDIC.
PROVINC. ASSESSORE PRIMARIO,

PRO LICENTIA
SVPREMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA MORE MAJORVM ADIPISCENDI
DIE VIII. OCTOBR. ANNO M DCC XXV.
IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI HORIS CONVENTIS,
PVBLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT

CHRISTIANVS GODOFR. HOFFMANN, Lips.
ibidemque Advocatus.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

19.



Nter alia infinitæ sapientiæ speci-
mina, quæ Summus rerum Cond-
itor in hominis creatione edidit,
haud minimum esse, constat, quod
neininem tam præclaris animi,
corporis & status dotibus abun-
dare voluerit, ut alter ea, quæ ali-
quali felicitatis suæ perfectioni acquirendæ & conser-
vandæ conducunt, absque alterius ope impetrare &
quilibet sibi ipsi sufficere possit. Quod magis aliquis
virium suarum imbecillitatem perspectam habet, eò
magis ab ambitionis studio arceretur, & sui tantum cau-
sâ fè natum non esse, intelligit, ideoque ut societatem
& amicitiam cum aliis hominibus colat, & tali modo
media conservationis, quæ sibi deesse cognoscit, adi-
piscendi, abundantiam verò, quam possidet, cum aliis

A 2

com-

communicandi occasionem quærat, facili negotio
commovetur.

§. II.

Maximè conspicua redditia est illa humanæ indigentiae conditio, ex quō singuli bona occupata, dominii jure possidere cœperunt & crescente in dies hominum numero plerisque in locis nulli aliquid tenendi potestas, nisi justum titulum ab alio habeat, relicta est. Tantum abeat, ut tales facultates proprio jure acquifitæ dominis suis sufficientem rerum necessiarium copiam suppeditent, ut potius plurimæ, citra aliquod aliundè obveniens adjumentum, exiguum, imo nullam sæpè utilitatem præbeant. His non immerito accensentur res, quæ naturaliter immobiles dicuntur, & quarum nomine ædificia, horti, agri, prata fundi veniunt. Dominia harum rerum variis modis distributa, sed variis etiam limitibus circumscripta sunt. Usus earum diversis ex causis, ab ipsa proprietate interdum divellitur. Naturalis fundorum situs & æquitatis ratio commodum quoddam ab uno in alium derivare solent, & unius rei possessori, ut commodius eadem re fruendi facultatem nanciscatur, magnis quandoque sumtibus, jura quædam in aliena re sibi acquirere conatur.

§. III.

Præcipuam dominii restrictionem, communis indigentiae sublevandæ causâ, pariunt servitutes rerum, qua-

quarum nonnullæ ab ipsâ naturâ, secundum quam inferior locus superiori, aquam exinde profluentem rejicendo, servire dicitur. *l. 1. §. 22. l. 2. ff. de aqua & aqua pluv. arc.* constitutæ, confer. Joh. Nicolai Hertii *assertatio de servitute naturaliter constituta, in primis prolegom.* & seqq. 2. in ejus Opuscul. Vol. 2. Tom. 3. pag. 103. plurimæ usu gentium introductæ sunt, & certam formam atque determinationem à jure civili acceperunt. Sunt enim servitutes, si legum Romanarum principia respicias, jura in re aliena ad usum alterius constituta, quæ illius dominum ad aliquid patientem, vel non faciendum obligant. *v. l. 15. §. 1. ff. de servitut.* Cum autem aliæ servitutes principaliter personæ; aliæ certo vicino prædio *v. l. 5. ff. de servit. præd. rustic.* ut ejus possessor ex alieno prædio utilitatem capiat, debeantur; illæ personales, ut ususfructus, usus, habitatio; hæ reales audiunt. *l. 1. ff. de servitut.* *Amad. Eckoltus in Tradat. Pandect. Lib. 7. tit. 1. §. 1.*

§. IV.

Ad has reales servitutes, tanquam gravissima & perpetuâ habitura onera, *v. l. 4. ff. de servitut.* prædiis imponendas, omnium eorum, quorum interest, consensus, ad minimum tacitus regulariter requiritur. *l. 8. 9. ff. de aqua & aqua pluv. arc.* quare non mirum, si illis indigentes, maximo licet adhibito studio, voti sui compotes fieri nequeunt, & de utilitate prædiorum suorum alio modo augenda solliciti esse debent. Nec semper denegatur iis curæ adhibitæ præmium, im-

primis si nonnulli vicinorum prædiorum possessores
commoda rebus suis utendi facultate simul destituantur,
ob futuræ melioris conditionis spem vero fundos
suis naturali libertate privare nolunt, sed ad tempus
aliquid sibi prospicere cupiunt. His optima offertur
occasio, ut tranquam familiares ex vicinitate & amicâ
conversatione conjuncti, mutuae necessitatî unitis vi-
ribus succurrere possint, probè gnari, quod per bene-
volos actus, quos ex familiaritatis jure inter se invi-
cem exercent, neutri aliquid perpetuum jus tribuatur,
& hinc neutri irreparabile præjudicium fiat.

§. V.

Nullibi autem magis necessitatis ratio familiarita-
tis exercitium postulat quam inter illos, qui agros co-
lunt, & ex pecoribus vitæ subsidia querunt: Non
omnibus prædiis tam foecunda pascua cohærent, ut
pecoribus, quæ ibi habentur, sufficiant, & ut ut non
desint, usus eorum tamen propter multa, que cir-
cumstant incommoda admodum difficilis & inutilis
nonnunquam redditur, nisi aliunde accedat auxilium.
Acquisitiones fundorum à diversis dominis diverso
tempore factæ particulares permutationes & aliena-
tiones, frequentes illorum, qui à pluribus communis
nomine possidebantur, divisiones, tantam commix-
tionem introduxerunt, ut unius prædii dominus pec-
ora in agris suis vix pascere possit, nisi vicinum fun-
dum attingat, ipsique damnum inferat, & ita multis
litibus ansam præbeat. Nemini enim absque domini

vo-

ores
un-
dos
pus
tur
nicâ
vi-
ne-
vi-
tutur,

ita-
co-
Non
, ut
non
cir-
ciliis
um.
ro-
na-
uni-
nix-
pe-
an-
tis
ini-
vo-

voluntate in alieno agro pecora pastus gratiâ habere; moderate ea abigere & expellere, potius domino licet, v. l. 39. ff. ad Legem Aquil. nec non Jus Saxonicum aliena pascua pecoribus suis visitanti hanc dicit legem: Wer sein Viech auf eines andern Mannes Korn treibt, oder auf sein Gras, der soll ihm gelten den Schaden, und darzu die That verbüßen mit dreyen Schillingen. Land-R. lib. 2. art. 47. ibique animalia, quæ damnum intulerunt, pignoris loco capere, domino agri permittit. Ad has difficultates tollendas utilis quodammodo esset servitutis pascendi constitutio, quale onus, cum vicini prædiis suis imponere plerumque nolint, magis proficuum sibi esse ducunt, ut promiscuum in vicinis suis prædiis pascendi usum ex familiaritatis jure sibi invicem permittant, & amicam pascuorum societatem ineant.

§. VI.

Oritur exinde commoditas compascuorum, quam dico facultatem à diversorum prædiorum possessoribus sibi invicem concessam, ut alteri pecora sua in alterius fundo, & vice versa, promiscue pascere liceat, quamdui alterutri placuerit. Vocabula autem COMPASCUVUM ET COMPASCVA Jure Consultis maxime usitata sunt, dum mutua pascendi facultas plerisque dicitur jus compascui, vid. Christoph. Besoldus in Thesauro Practico p. 471. voce Roppel-Waid, nec non jus compascuorum, Sam. Stryck. in dissert. de jure familiaritatis cap. 4. num. 52. & cap. 5. n. 39. aius jus compascu-

sculandi, Christoph. Ludov. Dietber. in continuatione The-
jauri Beſoldiani p. 332. voce Koppel-Waid imò aliquando
jus compasculationis, Abafv. Fritsch in special. Tra-
tatione de jure compasculationis, Germanis vero Kuppel
oder Koppel-Trifts-Huthung-Weyde.

§. VII.

Quod jam laudati aliique Jure Consulti, in desi-
gnandis & definiendis compascuis, vocabulum JVS
adhibent, non penitus, improbo, si per hoc quam-
cumque aliquid agendi vel habendi facultatem mora-
lem intelligunt, sed à denominatione ista ideò absti-
nendum esse duxi, ne afferrere videar, quod mutuis
compascuis utentes jus aliquod irreparabile & neutri
invito auferendum, quæſitum habeant. E contrario
commoditas tam omnem quoconque proveniat, util-
itatem quam etiam idoneam operis alicuius perficien-
di, & resuā ritè fruendi occasionem denotat. Jam ve-
rò compascuorum exercitium eum in finem, ut diver-
ſorum fundorum domini commodiorem re ſua uten-
di occasionem, ſaltem temporariam inveniant, intro-
ductum eſſe §. 5. oſtentum eſt; quapropter ipsam rem,
de qua loquor, per commoditatem compascuorum
optimè exprimi, & facultatem generis loco, in defini-
tione adhiberi posſe, arbitror.

§. VIII.

Quod ad iſtam facultatem exercendi, duò vel
plura diverſorum dominorum prædia eſſentialiter re-
qui-

quirantur, quilibet facilè ex jam dicto fine, ut diversis
prædiis meliori modo fruendi occasio præbeatur,
quem intendit, colligit. Exinde etiam fluit, quod, du-
rante tali commoditate, alia pecora in compascuis
agi nequeant, quam quæ in villis illis quarum posses-
sores sibi invicem eandem concederunt, haberi solent;
nihil tamen impedit, quo minus ita constitui possit,
ut vel ab utraque, vel ab una saltu parte, illa etiam
animalia, quæ negotiationis causa, aut alias citra utili-
tatem prædii comparata sunt, ibidem pascere liceat;
sed hoc in casu leges negotio adjectæ servari debent.
Reliqua definitionis membra per se clara sunt, & quod
compascuum non diutius, quam alterutri parti placue-
rit duret, societatis & familiaritatis fundamento, quod
infrà ulterius persequar, nititur.

§. IX.

Ex dictis jam patet, hanc commoditatem à ser-
vitute pascendi reali, quæ prædii alicujus domino pe-
cora sua in alieno fundo pascere, permittit, longè dif-
ferre; quæ differentia manet, licet pluribus in eodem
loco servitus pascendi competat, & simul cum illis do-
minus fundi in pascuorum usu concurrat: Præcipua
ergo differentia, quæ inter jus pascendi & compasciu-
rum commoditatem, §. 6. definitam, intercedit, in eo
consistit, quod hæc secus, ac illud omni tempore ab
uno, vel altero utentium liberè revocari possit. Sed
hic, eam extingvendi modus gravissimas sœpè in
foro lites parit, idcirco, quoisque ille procedat, nec

B

ne,

ne, in præsentí dissertatione ulterius examinabo. Si compascua exercentes in eo conveniunt, quod mutuam pascendi servitutem sibi invicem debeant, dubio procul neutri in servitutis præjudicium aliquid moliri, aut eam penitus tollere, invito altero, liberum est. *a. l. 34.*
Jf. de Servit. præd. rufic. At frequentius accidere solet, ut diverorum prædiorum possessores, nulla, de intentione mutuam servitutem fundis suis acquirendi, declaratione editâ, pecora sua promiscue in vicinis agris, per diuturnum temporis spatium, pasci curent, vel etiam expressâ conventione initâ, servitutis mentione tamen non factâ, reciprocum pascuorum usum sibi invicem concedant. Utrum igitur in tali casu alterutra pars compascuorum commoditatem alteri interdicere, & hoc quam maximè contradicente, planè extingvere valeat? ambigua videtur esse quæstio, sed affirmativam ejus decisionem validioribus juris rationibus munimtam esse, exstimo.

§. X.

Negotium inter illos, qui agros suos in communem prædiorum suorum utilitatem ad pascendum conferunt, contractum particularis societatis naturam habet. *arg. l. 5. pr. f. pro socio.* Quamvis enim invito alicui socius esse non possit. *l. 19. f. d. tit.* attamen ex collatione rei in communionem, aliisque actibus, quorum finis sine societate obtineri nequit, animus illam contrahendi, præsumitur, & sine alio tractatu eadem inducitur. *l. 31. f. l. 2. c. eod. tit.* Jam vero notum est, quod

(n)

quod communio rerum perpetuas & tranquillitati publicae nocivas discordias pariat. *l. 77. §. 29. ff. de legatis*
2. præcipue inter illos, qui in eodem loco pecora simul pascere solent, uti, præter quotidianam experientiam, rixæ illæ frequentes inter Abrahami & Lothi pastores testantur. *Genet. Cap. 13. v. 8. 9.* Propter immensas igitur contentiones plerumque res ad divisionem venire consuevit, *l. 26. ff. de servis. præd. urban.* nec leges civiles permittunt, ut societatis in perpetuum sit coitio, *l. 70. ff. pro socio*, aut pactum, ne omnino divisi fiat, vires habeat. *l. 14. §. 2. ff. communi divid.* sed potius cuivis ex sociis bonâ fide communioni renunciare licet. *§. 4. J. de societate l. 65. §. 3. ff. pro soc.* nec ullus in ea invitus detineri compellatur. *l. 5. Cod. Comm. divid.*

§. XI.

Majus adhuc pondus sententiae meæ, quæ compescuorum commoditatem per unius revocationem extingyi vult, accedit, si consideratur, quod omnis societas jus quodam modo fraternitatis in se habere dicatur, *l. 63. pr. ff. pro socio.* & hinc sociorum actus ex amicitiæ jure invicem gesti esse censeantur. Quum igitur ille, qui jure familiaritatis amici fundum ingreditur, civilem possessionem minime acquirat, *l. 41. ff. de acquir. vel amitt. possess.* multo minus juris alicujus perpetui in alienâ re, quam sine jure proprio se usurpare scivit, particeps fieri, *l. 1. §. 19. ff. de aqua quotid. & assiv.* & dominum, qui per viam meræ facultatis ali-

B 2

quid

quid concedere solitus est, ad ulteriore concessio-
nem adigere poterit.

§. XII.

Familiaritatis presumtionem in praesenti casu ma-
xiue confirmat libertatis favor, quem tanquam sin-
gularem jura semper agnoscunt, & illi, qui aliquid li-
bertati contrarium sibi competere, prætendit, ut evi-
denti probatione ejus constitutionem doceat, injun-
gunt, l. 9. 10. *Cod. de servit.* nec immerito, cum omnes
servitutes, regulariter ex accidenti veniant, quare quæ-
libet res ab iisdem liberæ & potius in eodem statu,
quem à natura habent, permanisse creduntur. Et
haec libertatis presumptio ob causas, ex sanâ ratione
desumptas, pro ipsa militantes, & sumnum probabili-
tatis gradum attingentes, inter violentias refertur Dn.
Just. Henning Böhmer in Dissertat. de Collisione presumpcio-
nrum Cap. 2. §. 11. siquidem presumptio, quæ ex subjectæ
materiæ natura colligitur, tanquam potentior, primum
locum obtinere debet. Ex quo fluit, quod nemo præ-
diis suis naturalem illam facultatem, citra claram men-
tis suæ declarationem, & per solam alteri, vicinitatis
vinculo sibi coniuncto factam concessionem usus ali-
cujus, quem propter reciprocam utilitatem sibi obver-
nientem facile permittere poterat, adimere voluerit,
& propterea in dubio ejusmodi indifferentes actus ex
familiaritate potius, quam jure proprio interpositi præ-
sumantur. *Paul. Chrystineus Decis. Belgic. Vol. 2. Dec.*
177. n. 6.

§. XIII.

§. XIII.

Hinc etiam illi à veritatis tramite, dubio procul, non aberrant, qui compascuorum commoditatem, quoties de mutuæ servitutis impositione non constat, mutuum precarium esse, urgent. *Bened. Carpov. Part. 2. Conf. 7. Def. 14. n. 2. Dn. Christian. Wildvogel in disput. de rebus prescriptilibus thes. 23.* Quod res illæ incorporales, quæ servitutem instar concedi solent, precario haberi possint ex l. 3. l. 15. §. 2. ff. de precari. patet. Si ergo aliquis talis rei usum non expressa ser- vitutis mentione facta, & ex hâc solum causa, quod preces adhibuit, impetravit, precariò illa uti videtur. l. 2. §. 3. ff. d. iii. quam precarii conditionem nec tum, si partes expressò consensu negotium incunt, ex ea ratione, quod precarium tantum fiat, cum alter, ut tene- nere sibi rem liceat, rogar, alter annuit, cessare credide- rim. Qvis enim non videt, inter duos, quorum al- ter rogar, alter annuit, veram declarationem consen- sus in negotium ab utraque parte, sive expressam, sive tacitam ad esse? Sic & vicinorum prædiorum posses- sores, qui sibi invicem pascuorum usum in prædiis suis, per expressum licet pactum mutuo concedunt, precariò hoc fieri voluisse meritò in dubio præsumun- tur. Ubi enim de obligando queritur, propensiōres esse debere nos, si habemus occasionem ad negan- dum; ubi de liberando ex diverso faciliores ad libe- randum, *aut Paulus Ictus, in l. 47. ff. de Obligat. & action.* Certum verò est, quod levissimum præjudi- cium

cium contrahentibus fiat per precarium, quod tam diu modo, quamdiu is, qui concessit, patitur, durat. *l. 1. ff. de precar. c. 3. X. de precar.* ne aliquis sita liberalitatis poenam patiatur. *l. 62. ff. de adilit. edict.* Quum itaque generaliter verum sit, quod ea, quae tacite & per dissimulationem concessa sunt, precarii naturam habere judicentur & mutatis rerum nostrarum rationibus recte revocari possint. *Sam. Puffend. de Jure Natur. & Gent. l. 3. cap. 3. §. 14.* quidni cuivis & illis, qui compascuorum commoditatem, absque servitutis imponenda intentione exercent, libera eam extingendi facultas relinqui debeat?

§. XIV.

Et affirmativam hanc questionis §. 9. propositæ decisionem, quam ex naturalis & civilis juris principiis probatam dedi, usus præsertim in Germania approbat, de quo non tantum Jure Consulti patriarchum consuetudinum peritissimi passim testantur. vid. *Bened. Carpzov. P. 2. Const. 41. Def. 9. Georg Adam Seruv. in Syntagma Jurisprud. civ. Exerc. 13. lib. 27. Sam. Siryck. in usu modern. Pandect. tit. de serv. Præd. rustic. §. 10. Dn. de Berger in Oeconomia Juris lib. 2. tit. 3. §. 9. p. 207.* Sed etiam collegia Jure Consultorum imprimis Saxonica fidem faciunt, uti ex responsis Facultatis Juridicæ Wittenbergensis à Caspar. Henr. Hornio Consultat. Class. 6. Resp. 6. & Scabinatus Lipsiensis à Carpzvio cit. loc. publicæ luci expositis appetat.

§. XV.

Contrariæ sententiæ patroni inter alia præcipue id urgent, nullam solidam rationem reddi posse, cur potius precaria compasiorum concessio, quam mutua servitus, quarum utraque in facto consistit, præsumi debeat; quapropter eo rem redire, ut attendamus, quis vel in familiaritatis, vel servitutis reciproca jure fundamentum suæ intentionis collocet; hoc enim ab allegante probandum esse, l. 2. ff. de probat. l. 4. C. de edendo. Et ita argumentari placuit Dn. Joh. Balthas. Wernhero in Select. Observ. for. Paet. 8. Observ. 358. ubi etiam sententia Facultatis Juridicæ Vitembergensis Mensè Februar. 1721. ad requisitionem Julii Jobin, Commission-Naths und Amtmann zu Torgau, in causa Syndicen der Gemeinde zu Traptiz, contra Christian Müllern und Consort. lata adjicitur hujus tenoris:

Das es der eingewandten Leuterung, in Ansehung, das demjenigen, welcher sich in jure familiaritatis gründet, und dieserwegen die Koppel-Wende aufzuheben sucht, dessen Beweiss oblieget, gestalt das precarium diesfalls so wenig, als mutua servitus, zu præsumiren, sondern es darauf ankommet, wer Klägers Stelle vertritt, als welcher dasjenige, so er von beyden zum Grund seiner Intention setzet, zu probiren schuldig, ungeachtet bey dem am 28. Decembr. des abgewichenen

chenen 1720. Jahres gegebenen und fol. 44.
befindlichen Deciso billig bleibt. V. R. W.

§. XVI.

Ast si ex veritate rem considerare volumus, sententia hæc communi illâ opinione nititur, quod actor, qui in libello actionis negatoriæ reum vi, clam, vel precariò servitutē usum esse afferit, onus, hæc possessoris vitia probandi, in se devolvat, & ratione desitutam non esse, agnosco. Sibi enim imputet actor, quod fines actionis negatoriæ, ex solâ libertate descendens, excesserit, & hujus præsumptione non contentus, aliud medium concludendi ex facultatibus, in fæto consistentibus, desumptum adjecerit. Pari periculo sese exponit ille, qui compascuorum commoditatem revocare intendens, actione desuper proposittâ, expresse, quod illa precario & ex jure familiaritatis constitutâ, vel exercita fuerit, forte ita: Es hätten Kläger und Beklagter auf ihren Feldern die Kuppel-Wende Bittweise, und nur aus guter Freundschaft einander verstattet; oder auf diese Art sich derselben bisshero gebrauchet, in libello ait, & tali modo à præsumptione, pro se militante, recedit, facta specialia admisceret, in iisque suam intentionem fundat, quorum probationem index eidem recte injungit. Tales circumstantias in dictâ causa Ordinem Jure Consultorum Vitembergensium commovisse, ut ab auctore probationem suscipiendam esse, decreverit, ex allegatis sententiæ verbis facile colligitur. Et in tantum opinio-

nem

nem præced. §pho recensitam non possum non probare. Alia autem erit processus facies, si actor generalia verba in libello adhibeat, & sibi cum reo compascuum commoditatem hactenus fuisse, se autem amplius ea uti nolle, tantum dicat. Hoc sane in casu onus probandi actori imponi nequit, siquidem fundamentum ejus intentionis jura præsumunt.

§. XVII.

Propterea nec communionis renunciationi damnum, quod alter exinde forte incurrit, obstare, satis confirmant leges, quæ callide & ex captatione alicujus lucri obvenientis, societati omnium bonorum renunciantem ad communicandum illud lucrum quidem obligant, sed ad permanendum in societate non cogunt. §. 4. *Inst. de societ. l. 6. §. 3. ff. pro soc.* Alii proinde existimant, quum nihil tam naturale sit, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est, & fere quibuscumque modis obligemur, iisdem in contrarium actis liberemur, l. 3r. & 153. ff. *de Regul. Juris compascuum* autem commoditas omnium, quorum interest, consensu vel expresso vel tacito per mutuum exercitium declarato, constituitur, hinc necessario sequi, quod & ad eam iterum tollendam singulorum consensus negligi nequeat; Sed salva res erit, si perpendamus, finem, quem unum quodque humanum negotium intendit, non pati, ut regula illa semper procedat, quod & particula FERE, in d. leg. 153. ff. *de Reg. Jur. adjuta innuit.* Sic mandati duorum consensu

C

sensu contracti renunciatio uni, licet invito altero, permititur. §. n. *Inß. de mand.* idemque de societatis dissolutione & precarii revocatione supra jam probatum est.

§. XVIII.

Mutuæ servitutis vim compascuis tribuentes aliquam suæ assertionis rationem invenire videntur in l. 12. l. 21. ff. *de rebus dubiis* l. 80. ff. *de verb. Obligat.* ubi in ambigua conventione illud, quo res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat, accipi, commodissimum esse ostenditur. Verum ut taceam ex textibus his de dubiorum verborum interpretatione agentibus, regulam, quod fortior & potentior sit præsumtio, quæ actum consistere facit, quam inde deducunt Andreas Alciatus de Præsumptionibus *Part. 3. Reg. 3. præsumt.* 34. n. 1. satis probare non posse; levius & particularis illa conjectura multis etiam limitationibus obnoxia, & contra eam maxime pugnat, quod procliviora sint iuria ad liberandum, quam ad obligandum, & cum præsumtio in meliorem partem fieri debeat, meliorque pars videatur esse, per quam odia extinguntur, regulam istam in odiosis non valere admittit Alciatus *cit. loc. num. 12.* Quid autem odiosis potius accenseri posset, quam restrictio naturalis prædiorum libertatis, cuius præsumtio aliis maxime præponderat?

§. XIX.

Quæ vero cum ita fere habeant equidem non vi-
deo,

deo, quænam à dissentientibus pro defendenda opinio-
ne contraria cum quodam pondere proferri possent; li-
berbatem tamen sentiendi Lectori Benevolo lubenti
animo concedo, simileque humanitatis officiorum ge-
nus, & æquum de meis dictis judicium ab eodem mi-
hi policeor, qua spe fretus, & favori ejus me
commendans dissertationi huic
impono.

FINE M.

COROLLARIA

Juramentum judiciale a parte parti
deferrī potest, sive in personam si-
ve in rem, sive poenali actione vel
quavis alia agatur L. 3. §. 1. ff. de Jure
jur.

II.

Jus jurandum speciem transactio-
nis

nis continet, majoremque habet au-
toritatem, quam res judicata. L. 2. ff.
de Jurejurand.

*III. de causis Novae et leui
in iure*de Jurejurand.**

In actione duplicitis videtur actar,
qui ad judicium provocavit, sed cum
utraque litigantium pars ad judicium
provocavit, forte res discernenda est.
L. 13. L. 14. ff. de Judic.

S. G. D.




Erfurt, Diss., 1725-26

ULB Halle
005 367 786

3



vD18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



1725/11
19

12

DISSERTATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA

DE COMMODITATE COMPASCVORVM PER REVO- CATIONEM VNIVS, ALTERO LICET DISSENTIENTE EX- TINCTA,

QVAM

RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS.
SIMO AT&QUE CONSULTISSIMO,

DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO DE GVDENVS, J.V.D.

IN SIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEM-
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,
EX DECRETO ET AVTORITATE AMPLISS. JCTOR. ORDIN.
IN PERANTIQUA ERFFVRTINA,

PRÆ SIDE

DN. JOHANNE HENR. Meieru/ JCto,
ELECTORAL. REGIM. CONSILIA. DECRETAL. PROF. IVBL. VNIVERSITAT.
ET FACVLT. JVRID. SENIORE, ET H. T. DECANO, NEG NON JVDIC.
PROVINC. ASSESSORE PRIMARIO,

PRO LICENTIA

SVPREMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA MORE MAJORVM ADIPISCENDI
DIE VIII. OCTOBR. ANNO M DCC XXV.

IN AUDITORIO JCTORVM MAJORI, HORIS CONVENTIS,
PVLICÆ DISQVISITIONI SVBMITTIT

CHRISTIANVS GODOFR. HOFFMANN, Lips.
ibidemque Advocatus.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

Sc. S. 1725/11
19.

